

interrogare, ut est communis Doctorum sententia, ibi § 34.

(74. Si tamen falsa narrare dispensandum sciverit, non potest ad dispensandum procedere, nisi id sciret ex præcedentibus dispensandi confessionibus, ut ex Sanchez, ibidem.

(75. In ejusmodi dispensationis literis mandatur executori, ut dispense, audita prius Sacramentali confessione, et in ipsa confessione; nec liberum est illi extra confessionem rem exequi, ut omnes docent; ibid. § 33.

(76. Cum poenitentia in literis definitur, ea injungenda est; si vero committatur arbitrio Confessarii, non est illi liberum eam ad arbitrium injungere, sed ad prudentiæ leges dirigenda est, neque nimis rigida, neque lenior quam par sit; ibidem § 37, 38.

(77. Quoad clausulam: *dummodo sit occultum*, censetur occultum, si tantum septem, vel octo in Civitate id resciant: in oppidis vero, si quinque vel sex; quam sententiam Scriptores, qui mentem sacræ Poenitentiarie probe norunt, tenent; ibid. § 43. Occultum impedimentum Fagnanus censet illud quod nullo pacto probari possit; ibid. § 44.

(78. Si impedimentum occultum fuerit in loco, ubi executioni mandanda est dispensatio; publicum vero in alio, ubi commissum est delictum, tutius tunc est executionem suspendere, et de hac novitate Sacram Poenitentiarium certiorum facere; ibid. § 46.

(79. Delictum olim publicum, nunc occultum, si a die commissi criminis longum tempus effluerit, ad effectum dispensationis obtinendæ, censetur ibid. § 42.

(80. Si quis rem vitatam præstiterit, sed publice creditur obtinuisse ad id facultatem, hujus peccatum ad effectum dispensationis obtinendæ creditur occultum. Si vero commississe delictum rescitur, sed ignoretur inde consurgere impedimentum, profecto occultum quoad hunc effectum non censetur; ibid. § 48.

(81. Si delictum deductum sit ad forum contentiosum, a S. Poenitentiarium censetur publicum. Si tamen data in eo fuerit sententia absolutoria criminis, per quam reus repertus sit innocens, et non culpabilis, vel ex hactenus deductis non repertus culpabilis, etiamsi id obtentum sit mediis illicitis, falsis testibus, etc., adhuc censetur impedimentum occultum ad hunc effectum; ibi § 49.

(82. Alia ad rem. vide verb. BIGAMIA, verb. JEJUNIUM, verb. IMPEDIMENTA MATRIMONII, srt. 3, verb. IRREGULARITAS, art. 3, verb. JURAMENTUM, verb. SIMONIA, verb. VOTUM.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(83. Loco *juris communis* dici debere *juris humani*, vel *positivi* in definitione dispensationis monet Soll. de leg. cap. 4, § 1, n. 170.

(84. « Quia, inquit, etiam in Municipali, et Synodali jure, quod distinguitur a communi, c. 1, de Const. in 6, dispensatur. »

(85. Quod ait Auctor num. 7 de tacita dispensatione sublata a Regula 51 Cancellariæ, id intellige respectu Summi Pontificis, ut inquit idem Auctor ibidem, et advertit Rigant. in commentar. ad dict. Regul. 51.

num. 8. (86. Cæterum alii post Pontificem possunt adhuc tacite dispensare. Solumque quæstio est, utrum tacite dispensare valeant super propriis constitutionibus, an item super legibus Superioris in casibus, in quibus concessum ipsis est dispensare. (87. At communior est opinio, posse tacite dispensare etiam super legibus Superioris; Confer Soll. de Leg. cap. 4, § 1, n. 178.

(88. Tacita vero dispensatio secundum Rigant. in commentar. ad dict. Regul. 51. num. 15 et sequent., tunc locum habet, quum quinque hæc concurrunt. Primum est, quod qui gratiam inhabili, seu incapaci facit, sciat factum, et ex illo juris dispositionem. Secundum, quod pariter sciat, quod in illo facto opus sit dispensatione. Tertium, quod ex certa scientia affirmativum factum faciat, illudque exprimat. Quartum, quod de causa, qua ad tacita dispensandum movetur, cognoscat. Quintum denique, quod ex dispensatione illa tertio præjudicium non irrogetur.

(89. At præsertim quartum requisitum necessarium haud esse, tenet Soll. de Leg. cap. 4, § 1. num. 178, qui sequent. num. 179, aliter explicat, quando censeatur facta tacita dispensatio.

(90. De potestate Summo Pontifici competente dispensandi super legibus omnibus positivis non est quod disseratur, quum ea promanet ab ea superioritate, quam obtinet super omnes, et firmatur in cap. 4. de Conces. Præbend. (91. Quod vero attinet ad Episcopos, ii utique possunt dispensare non solum super propriis Constitutionibus, verum et super legibus Synodi Diocesanæ. Duo vero excipiuntur casus. (92. Prior est, si Constitutio a Summo Pontifice confirmata fuit *in forma*, ut aiunt, non *communi*, sed *specifica*. (93. Alter est, si Constitutio abierit in contractum; (94. Confer Soll. de Leg. cap. 4, § 2, num. 184 et sequent.

(95. At quod attinet ad priorem casum, tunc secundum alios confirmatio *in forma specifica* impedimento esse potest, quominus Episcopus dispense, quum Constitutio excedit potestatem ipsius Episcopi, ita ut totum faciat auctoritas pontificia, non item quum adhibita ea fuit ad abundantiorum cautelam.

(96. Super legibus vero superioris Episcopus regulariter nequit dispensare. (97. Quocirca non est in potestate Episcopi dispensare non solum super jure Pontificio, sed nec super Synodo Provinciali. (98. Quinimo nec Archiepiscopus dispensare valet super Synodo Provinciali, quum ab ipso tamquam inferiori ad Provinciale Synodum appelletur; Soll. de Leg. cap. 4, § 2, n. 189.

(99. Quando vero Episcopus dispensare queat super legibus superioris, vide apud eundem Auctorem de LL. c. 4, § 2, a n. 19 ad plur. sequent., ubi examinatur, (100. An in casibus in quibus inferior pollet potestate dispensandi, secum ipse dispensare valeat, (101. tum an dispensare valeat cum vagis, et peregrinis.

(102. De justis causis dispensationis consule Rousseaud de la Combe in sua Jurisprudencia Canonica, verbo *Dispensatio*, sect. 1, n. 4 et sequent. An autem cesset dispensatio, si causa, ob quam fuit concessa, cesset itidem ante executionem illius, non conveniunt inter se Doctores. (103. Negant Suarez de LL. lib. 6, cap. 19, n. 18. Gutierrez Qu. Canonic. lib. 2, cap. 13, n. 30. Affirmat vero, et quidem allegatis pro se Glossa, Joanne Andrea, Baldo, Felino, et aliis, Sanchez de Matrimon. lib. 8, disp. 30, n. 14.

(104. An et quando potius datum mandatum de dispensando, quam gratia dispensationis concessa a Papa sit, et quinam sint effectus diversi, expendit Rot. in Ugentina Beneficii, 5 Maii 1738. cor. Eminentissimo Crescentio.

(105. Nota demum, dispensationem esse stricti juris, nec ullam pati extensionem. Vide exempla in Hildesimen. Fructuum Canonicalium super bono jure 17 Junii 1731. cor. Eminentiss. Crescentio.

(106. An secunda dispensatio obtenta, non expressa prima dispensatione circa eandem rem, indistincte sit subreptitia, non convenit inter Doctores. Videsis Soll. de Legib. part. 1, cap. 4, § 4, n. 277.

(107. At concordet in hoc sunt Auctores, quod si prima dispensatio est *cum moderatione aliqua* obtenta, secunda vero dispensatio circa eandem rem obtenta est *absolute sine moderatione illa*, ex reticentia primæ

DISPENSATIO IN BIGAMIA.

Vide verb. BIGAMIA.

DISPENSATIO IN FESTORUM OBSERVANTIA.

Vide verb. FESTUM.

DISPENSATIO IN JEJUNIO.

Vide verb. JEJUNIUM.

DISPENSATIO IN IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Vide verb. IMPEDIMENTA MATRIMONII, art. 3.

DISPENSATIO AB IRREGULARITATE.

Vide verb. IRREGULARITAS, art. 3.

DISPENSATIO IN JURAMENTIS ET VOTIS.

Vide verb. JURAMENTUM et VOTUM.

DISPENSATIO IN POENIS SIMONIÆ.

Vide verb. SIMONIA.

DISTRIBUTIONES QUOTIDIANÆ.

ARTICULUS I. - Quid, et quæ sint Distributiones quotidianæ, et a quibus acquirantur?

1. Distributiones quotidianæ ita dicuntur, quia juxta cujusque merita, ac laborem, et qualitatem distribuuntur. — 2. Distributiones quare dicantur quotidianæ. — 3. Distributiones quotidianæ aliæ sunt, quæ non distinguuntur a Præbendis, et aliæ, quæ distinguuntur, et quæ sint utraque, ad n. 4. — 5. Distributionum quotidianarum propria definitio. — 6. Distributiones hujusmodi non veniunt in appellatione fructuum, seu reddituum, et proventuum. — 7. Distributiones non comprehenduntur in regulis Cancellariæ de valore fructuum exprimendo. — 8. Distributiones quotidianæ institutæ sunt in gratiam cultus divini. — 9. Jus percipiendi Distributiones quotidianas competit Cathedralium et collegiarum

dispensationis excusari a vitio subreptionis nequeat secunda dispensatio, idque ex ea potissimum ratione, quod Summus Pontifex certior factus de prima dispensatione *limitata*, secundam dispensationem *sine illa limitatione* vel non concessisset, vel difficilius concessisset, quorum alterum sufficit ad subreptionem, ut firmant Sanch. de Matrimon. lib. 8, cap. 22, n. 6. Soll. de Legib. part. 1, cap. 4, § 4, n. 278, et novissime Collett. de Dispensation. lib. 1, cap. 5, § 6. Rota, Divers. Dec. 91. part. 3. lib. 3.

(108. Actum vero novissime de hoc articulo fuit in Rota in Neocastren. Pensionis 3, Aprilis 1762, cor. R. P. D. Frangipan. At Tribunal hoc excusavit a subreptione secundam dispensationem illimitatam obtentam cum reticentia primæ dispensationis limitatæ « quidquid sit (Aiendo) in materia beneficii, in qua sancitum habetur, quod necessaria sit expressio Beneficii, quod antea quis obtinuerit in postulatione et assecutione secundi, absolutissimum tamen est, quod in cæteris gratiis et concessionibus nullibi cautum reperitur, quod mentio primæ haberi debeat in concessionem secundæ gratiæ, sed hæc absque mentione prioris validissima semper reputatur. » Sed mox dicta *Decisio* est sub *revisione*.

Ecclesiarum Canonicis divinis officiis interessentibus. — 10. Distributiones debentur his tantum qui vere intersunt divinis Officiis, non vero his qui fide resident, aut juris fictione. — 11. Unde non sufficit interessentia in Ecclesia, sed requiritur actualis interessentia in Choro. — 12. Distributiones quotidianas lucratur in absentia Can. infirmus. — 13. Sic Distributiones quotidianas lucratur Canonicus, qui ad Ecclesiam se conferre non potest, quia est debilis in cruribus, vel tibiis. — 14. Vel quia podagra laborat. — 15. Vel quia est cæcus, et propterea Missas celebrare, et divina officia recitare non potest. — 16. Vel quia medicinam sumit, aut sanguine minuitur. — 17. Vel quia lepra, aut alio morbo contagioso cogitur ab Urbe discedere. — 18. Vel quia sanitatis causa ad balnea, vel ad alium locum iret. — 19. Sic etiam lucratur senio confecti, si alias residere soliti erant. — 20. Similibus infirmitatibus de-

tenti possunt Distributiones quotidianas percipere, quamvis propria culpa in eas inciderint, cum non sit addenda afflictio. — 21. Nec obstat statutum contrarium Capituli, ut agrotis, vel ex quavis causa absentibus non dentur Distributiones. — 22. Nec etiam obstat consuetudo non percipiendi Distributiones in absentia. — 23. Nec tempus, quo Canonicus fuit infirmus, computandum est pro tempore vacationum. — 24. Immo Canonici infirmi percipere debent etiam portionem accrescentem. — 25. Tales tamen Distributiones debentur solum illis Canonicis infirmis, qui dum, sani erant, divinis Officiis interesse solebant. — 26. Distributiones quotidianas lucratur Canonicus in absentia, ratione justæ et rationabilis corporalis necessitatis. — 27. Distributiones quotidianas lucratur injuste carceratus. — 28. Injuste excommunicatus, et postea absolutus per sententiam, quæ in rem judicatam transivit, lucratur Distributiones quotidianas. — 29. Canonicus expulsus a Civitate propter seditiones absque sua culpa, debet integras percipere Distributiones. — 30. Sic Distributiones quotidianas lucratur Canonicus, qui ex facto Principis temporalis loci, residere non potest, etc. — 31. Distributiones quotidianas debentur Canonico absenti, ut injustam Judicis vexationem redimeret. — 32. Distributiones quotidianas debentur Canonico citato ob causam criminalem, qui se innocentem exhibuit, ac propterea a servitio Ecclesiæ abfuit, licet statuto Ecclesiæ absentes per sex menses universam illius anni portionem amitterent. — 33. Canonicus, qui de crimine inquisitus, et condemnatus fuit, appellavitque, et fuit absolutus, debet percipere Distributiones totius temporis, quo propter eam causam horis Canonicis non potuit interesse. — 34. Distributionibus quotidianis gaudere debet Canonicus, qui inquisitus de homicidio, et factus contumax infra annum comparuit, et factis defensionibus in carceribus, fuit absolutus, et innocens declaratus, etc. — 35. Distributiones quotidianas debentur Canonico legitime impedito pro toto illo tempore, quo fuit impeditus inservire. — 36. Distributiones quotidianas lucratur Canonicus in absentia, ratione evidentis Ecclesiæ utilitatis. — 37. Absens pro defensione Jurium ipsius Ecclesiæ, vel sui Beneficii, lucratur fructus et Distributiones quotidianas. — 38. Canonicus Procurator Capituli, et pro negotiis Capituli absens lucratur Distributiones quotidianas. — 39. Distributiones quotidianas lucratur Canonicus a Choro absens occasione servitii curæ ejus Canonicatui annexæ. — 40. Distributiones quotidianas lucratur Canonicus, qui accedit Romam pro servitio Episcopi, qui venit ad visitanda limina Apostolorum, etiamsi dictus Canonicus veniat post Episcopum, et non simul. — 41. Sic etiam Distributiones lucratur Canonici missi ab ipsorum Episcopis ad limina Apostolorum eorum nomine. — 42. Canonico in Urbe commoranti, si deputetur ab Episcopo suo ad visitanda limina, debentur Distributiones unius Mensis. — 43. Si vero Episcopum ad visitanda limina comitasset, tunc Distributiones debentur pro toto tempore accessus, mansionis, et recessus; quod tempus Sacra Congregatio Concilii constituit esse trium mensium. — 44. Distributiones quotidianas lucratur Canonici inservientes Episcopo Pontificaliter in Civitate, vel in Suburbis, non autem in alio loco, vel comitantes in Visitatione. — 45. Distributiones debentur Canonico proviso ab Ordinario Cardinale vigore Indulti pro tempore quo Ecclesiæ inservivit, etiamsi fuerit postea coactus capere novam possessionem Apostolicam, et primæ renunciare, tamquam invalidæ. — 46. Archidiaconus, vel Canonicus visitans Ecclesiæ jura, vel redditus suæ præbendæ, non amittit Distributiones. — 47. Canonicus Pœnitentiarius si dum recitantur divina officia, audiat in Ecclesia Confessiones, percipit quotidianas Distributiones. — 48. Etiamsi audiat Confessiones peccatorum venialium,

et non reservatorum. — 49. Pœnitentiarius, dum actualiter audit Confessiones, non solum lucratur Distributiones quotidianas, sed etiam elemosynas, quæ distribuuntur pro associandis et sepeliendis cadaveribus defunctorum, vel pro supplicationibus, et processionibus, quæ peraguntur. — 50. Theologus, seu obtinens Præbendam Theologalem, diebus quibus legit habendus est tamquam presens in Choro, non modo pro illis horis, ut si mane legat, pro horis Matutinis, et Missa solemnibus, sed etiam pro tota die, et percipere potest Distributiones. — 51. Canonici privilegiati super fructibus in absentia percipiendis, si redditus omnes in his distributionibus consistant, lucratur de jure communi sine diminutione hujusmodi Distributiones. — 52. At post Concilium Tridentinum Canonici sic absentes percipere debent solummodo duas tertias illarum partes. — 53. Canonici qui Papæ vel Cardinalibus inserviant cum Indulto percipiendi Distributiones pro diebus, et horis, quibus actualiter in servitio occupantur, gaudent Distributionibus, et etiam fallentis absentium. — 54. Distributiones debentur Canonico pro tempore quo sine salario Organum pulsant. — 55. 77. Nonnulla ex Inst. Eccl. Benedicti XIV excerpta quoad eos qui privari debeant Distributionibus. — 78. 80. Distinctio inter Distributiones quotidianas et fructus quos vocant Grossos. — 81. Distributiones quotidianas non veniunt nomine fructuum Beneficii. — 82. 84. Possunt venire voluntate Papæ. — 85. 86. Sed non in Regul. IV Cancellariæ. — 87. Non subjiciuntur Distributiones quotid. Spolio. — 88. An quis possit ordinari ad titulum Beneficii, cujus redditus unice consistant in Distributionibus.

ARTICULUS II. — *Distributiones quotidianæ a quibus amittantur, seu non acquirantur.*

1. Distributiones non lucratur Canonici sine legitima causa absentes, quamvis consuetudine sit introductum, ut Distributiones absentibus debeantur. — 2. Distributiones quotidianas non debentur Canonico Vicario Generali absenti a Choro ratione officii Vicariatus, quamvis ab immemorabili observatum sit ut debeantur. — 3. Distributiones quotidianas non lucratur Canonici inservientes Episcopo in Missis privatis. — 4. Distributiones non lucratur Canonici associantes Episcopum volentem quandoque audire Missam in Ecclesia non Cathedrali Civitatis. — 5. Canonici assistentes Episcopo non Pontificaliter celebranti non lucratur distributiones. — 6. Non lucratur distributiones Canonici inservientes Episcopo in Visitatione Diœcesis, aut in Monialibus velandis, aut in examine Ordinandorum, et promovendorum ad Beneficia, vel qui Seminariorum præsentent, aut in Congregationibus S. Officii adhibentur. — 7. Episcopus Canonicus, dum abest ex causa visitationis suæ Diœcesis, non lucratur distributiones quotidianas. — 8. Distributiones quotidianas non lucratur in absentia Canonici Collegiata Ecclesiæ dum servit Episcopo Cardinali pro Caudatario. — 9. Neque distributiones quotidianas debentur Canonico Cubiculario ad bussulam Sanctissimi, et propterea absenti a residentia. — 10. Familiares Papæ non percipiunt in absentia distributiones quotidianas. — 11. Distributiones quotidianas non debentur Canonico in publica Universitate docente, si choro non intersit, quamvis omnes redditus in distributionibus quotidianis consistant. — 12. Distributiones quotidianas non debentur Canonico infirmo habenti Coadjutorem, si Coadjutor non resideat, punctatur tamen ad damnum ipsius Coadjutoris. — 13. Distributiones non debentur Canonico inquisito, et postea absoluto, si hic haberet Coadjutorem, qui de tempore carcerationis, seu contumaciæ Coadjuti, inservire debuisset, et non inservivit. — 14. Distributiones quotidianas non debentur Canonico, qui fuit Romæ pro negotiis Capituli contra Episcopum. — 15. Canonici, qui sunt Officiales Tribunalis Inquisitionis, non lucratur

in absentia distributiones, absque speciali Sedis Apostolicæ indulto. — 16. Imo neque lucratur distributiones Canonici ipsi qui funguntur munere Inquisitoris contra hæreticam pravitatem; sicuti neque Examinatores Synodales, dum similiter suo munere funguntur; uti neque Canonici, qui voluntarie, non autem ex officio sese confessionibus audiendis exponunt. — 17. Distributiones quotidianas non lucratur Canonici celebrantes dum Divina officia recitantur, nisi ad celebrandum compulsi fuerint ab eo ad quem pertinet. — 18. Canonici absentes studiorum causa non lucratur distributiones. — 19. Hoc tamen locum habet, si Canonicatus habeant fructus a distributionibus distinctos; secus vero si redditus omnes in distributionibus consistant. — 20. Distributiones quotidianas non debentur interessentibus Congregationibus Capitularibus tempore, quo divina celebrantur. — 21. Canonici absentes ratione peregrinationis, causa devotionis assumptæ non lucratur distributiones. — 22. Canonici habentes privilegium Apostolicum percipiendi fructus Beneficiorum suorum in absentia, non per hoc lucratur distributiones quotidianas. — 23. Distributiones, quæ dantur Canonici, vel Præbendis propriæ Ecclesiæ, quando aliquas Missas celebrant, debentur Coadjutoribus, nisi quando celebrant pro Coadjuti. — 24. Dispensationes quotidianas non lucratur Vicarius Generalis, quando est Canonicus, nisi se deat, et incedat cum habitu, et in suo loco ordinariæ ac si non esset Vicarius. — 25. Sic etiam distributiones quotidianas non lucratur Canonici, sive Dignitates Protonotarii, si Choro intersit cum habitu Protonotarii. — 26. Immo neque eas lucratur etiam accedente consensu et concordia Capituli. — 27. Affertur etiam alia novissima decisio. — 28. Canonici qui evasit surdus non lucratur distributiones, nisi præsentiam in choro præstet. — 29. Secus autem Canonici factus cæcus. — 30. Canonici dispensatus super ætate ad obtinendum Canonicatum cum clausula, quod se promovendi faciat perventus ad legitimam ætatem, amittit distributiones, si conditionem non curavit adimplere, quamvis Choro intersit. — 31. Distribuitur a Canonici absentibus amissæ accrescent interessentibus, adeo ut ab Episcopo non possint applicari Fabricæ Ecclesiæ, aliisque usibus piis. — 32. Nec Canonici, non obstante sta-

ARTICULUS II

*Quid, et quæ sint distributiones quotidianæ et a quibus acquirantur?*

(1. Distributiones quotidianæ secundum nominis etymologiam ita dicuntur, quia juxta cujusque merita, ac laborem, et qualitatem distribuuntur; nam distribuere est suum cuique tribuere, l. 1. ff. *familia eriscumd.* Rota par. 5. recent. dec. 115, n. 20. (2. Dicuntur autem quotidianæ, sive quia quotidie distribuuntur iis qui quotidie Horis Canonicis, divinisque officiis intersunt, quasi quotidianum, et diurnum stipendium. Rota cit. part. 6, dec. 115, n. 23. Barbosa lib. 3 Juris Eccles. univ. c. 18, n. 4, et de Canonici cap. 11, num. 3, cum plurimis ibi citatis. (3. Distributiones aliæ sunt, quæ non distinguuntur a præbendis, sed ipsæmet præbendarum vice funguntur, ut sunt distributiones illarum Ecclesiarum, quarum fructus omnes in communi reponuntur, et singulis diebus distribuuntur cuilibet Canonico præsentem pro victu, de quibus in c. *Quam*, de verb. signific. et apud Decian. cons. 43. col. 1. Menoch. cons. 436, n. 25. (4. Aliæ vero sunt distributiones a præ-

tuto, consuetudine, aut pactione contraria possunt sibi invicem remittere, et condonare distributiones. — 35. Non lucratur distributiones Canonici quoties absunt a residentia occasione litium concernentium interesse suarum Præbendarum sine licentia Episcopi, quæ necessaria est. — 31. Distributiones quotidianas non debentur Canonici infirmis, aut alio legitimo impedimento detentis, si alias sani, aut non legitime impediti non erant soliti inservire. — 35. Potest Episcopus statuere, ne Canonici, et alii de Capitulo discedant ab Ecclesia tempore concionis, et quod illi intersint quotidie sub poena amissionis distributionum illius diei, in qua defuerint. — 36. Non potest tamen Episcopus decernere ut canonici in Saceris non constituti non gaudeant distributionibus. — 37. Permitti non debet Capitulo, quod dum pro litibus, vel alia causa vult expensas facere, utatur distributionibus quotidianis. — 38. Episcopus, et Capitulum non potest amissas distributiones ob non residentiam, remittere aut condonare illi ipsi qui eas amisit. — 39. Secundum Barbosam et alios poterit Canonici distributiones, quas alter amiserat, sibi jam applicatas, et traditas, postea illi ipsi donare. — 40. Cavendum est tamen, ne hac via detur occasio Clericis se abstinendi a Choro in diminutionem Divini cultus. — 41. Distributiones amittuntur juste excommunicati, vel suspensi, vel interdicti. — 42. Distributiones amittunt Canonici non psallentes, et canentes in choro cum aliis. — 43. Distributiones quotidianas amittunt dormientes, et confabulantes in Choro, non in totum, sed proportionaliter pro parte correspondente defectibus. — 44. Distributiones quotidianas non lucratur Canonici, quando non cantant Missam Conventualem, seu Missam de die. — 45. Canonici, qui perceperunt distributiones pro tempore, quo servitium Ecclesiæ non præstiterunt, tenentur ad illarum restitutionem. — 46. Canonicus tempore Divinorum Officiorum organum pulsans, vel cum Musicis psallens amittit distributiones quotidianas, si ex ejusmodi munere certum aliquod stipendium obtineat ad n. 49. — 50-52. De causis de quibus absentes possunt necne percipere Distributiones. — 53. Non est absolute verum quod Distrib. a Canonici absentibus amissæ accrescant inservientibus.

ARTICULUS III. — *Adducuntur summarie varia decreta ad rem facientia, prout referuntur a D. Ursaya.*

bendis separatæ, atque distinctæ, quales sunt distributiones illarum Ecclesiarum, in quibus Canonici certas habent præbendas et præterea quotidianas distributiones, quæ dantur interessentibus Divinis Officiis, de quibus in c. *Quia* 15, de Rescript. in 6, et in c. unic. de Cler. non resident. eod. in 6 et in c. ultim. de Concession. præbend. pariter in 6. Paris. cons. 32, n. 7, et cons. 34, n. 4. cum seq. vol. 4. Covarr. lib. 3. Variar. Resol. cap. 13, n. 1. Gallet. in Margarita Casuum conscient. verb. *Distributiones* 2.

(3. Distributiones quotidianæ proprie loquendo definiuntur, quod sint stipendia quædam personalia, quæ ex redditibus Ecclesiæ (præter Præbendam, aut portionem certam pro Beneficio competentem) Canonici, et Beneficiatis, seu Clericis Cathedralium, et aliarum Collegiatarum Ecclesiarum divinis officiis interessentibus pro divino officio tribuuntur. (6. Distributiones hujusmodi non veniunt appellatione fructuum, seu reddituum, et proventuum istius, vel illius Beneficii, cum sint redditus casuales, et incerti, qui acquiruntur labore et interventu in divinis, cap. *Licet* 32. de Præbend. cap. unic. de Cler. non resident. in 6. cap. *Quoniam* 8.

§ *In illis*, de concess. Præbend. etiam in 6. Rota part. 15. recent. dec. 61. n. 1. Cassad. dec. 1. de Cleric. non resident. Covarr. lib. 3 Variar. resolut. cap. 13. n. 1. Fagnan. lib. 3. Decretal. in cap. *Licet* 32. de Præbend. num. 3. et sequent. et lib. 5. cap. *Præterea* 1. *Ne Prælati vices suas*; Barb. lib. 3 Juris Eccles. univers. cap. 18. n. 8. de *Canonicis* cap. 21. n. 6. (7. Propterea non comprehenduntur in regulis Cancellariæ de valore fructuum exprimendo; Felinus alios citans in c. *Ad aures*, de Rescript. n. 14. Covarr. lib. 3 Variar. Resolut. cap. 13. n. 1. Fagnan. loco cit. (8. Distributiones quotidianæ institutæ sunt in gratiam cultus divini, ut sic Canonici, et Capellani promptius, ac frequentius, pro officiis divinis recitandis ad Ecclesias convenirent, cap. unic. de Cleric. non resident. in 6. Clementin. *Si Dominum*, de Relig. et Venerat. Sanctorum; Rota part. 8. decis. 24. num. 17 et 18, et Annotat. ad decis. 576. num. 70. et 101. et sequent. part. 4. tom. 3. quia talis interest pro denario, qui non interesset pro Deo, ut inquit Hostiens. in c. *Olim*, de verbor. Significat. num. 2. in vers. *Et manualia*, et Fagnan. ibid. n. 42. Et propterea ut neque in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum omnibus rebus obsequium præstetur, Concilium Trid. sess. 21, cap. 3 de *ref.* sic præcise ordinavit: « Statuit Sancta Synodus in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verosimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, et quorumcumque proventuum, et obventionum, tam Dignitatum, quam Canonicatum, Personatum, Portionum, et Officiorum separari debere, et in distributiones quotidianas converti, quæ inter Dignitates obtinentes, et cæteris divinis interessentes, proportionabiliter juxta divisionem ab Episcopo, etiam tamquam Apostolicæ Sedis Delegato, in ipsa prima fructuum deductione faciendam dividantur. » Sunt præcisa verba Concilii.

(9. Jus percipiendi quotidianas distributiones competit Cathedralium, et Collegiarum Ecclesiarum Canonicis divinis officiis interessentibus, cap. *Licet* 32 de Præbend. cap. unic. de Cleric. non resident. in 6. *Clementin.* 2 de ætat. et qualitat. et Extravagant. *Cum nonnulla* 1, § *Præterea*, de Præbend. inter commun. et Conc. Trident., sess. 21, cap. 3, de Reform. et sess. 24, c. 12, de Ref. Rota p. 3, dec. 473, n. 1, et dec. 689, n. 7, ag. 10 dec. 133, n. 3, par. 13, dec. 233, n. 22 et 25, et sæpe alibi. (10. Debentur autem distributiones his tantum, qui vere intersunt divinis officiis, non vero his, qui fecte resident, aut juris interpretatione; c. *De cætero*, de Cleric. non resident. Fagnan., l. 3 Decretal. in cap. *Licet* 32, de Præbend. n. 102, quia ad ipsas lucrandas non solum requiritur præsentia, sed etiam interessentia corporalis in Choro; Rota part. 5, tom. 1, dec. 22, n. 14. Annotat. ad decision. 576, n. 112 et sequent., et n. 129 et seq., part. 4, tom. 3, et dec. 449, num. 7, part. 14. (11. Unde non sufficit interessentia in Ecclesia, etiamsi

Canonicus esset in Ecclesia celebrans eo tempore, quo horæ Canonicæ cantantur in Choro, sed requiritur actualis interessentia in ipso Choro, dicta Annot. ad dec. 576, n. 131, part. 4, tom. 3. Canonici enim celebrantes, dum divina officia recitantur, lucrantur solum distributiones, si ad celebrandum compulsi fuerint ab eo, ad quem pertinet, vel si consuetudine fuerit introductum, quod Clerici recedentes a Choro ad celebrandum Missam, dum preces Horariæ recitantur, eas lucrentur; secus vero si compulsi non fuerint, et consuetudo id non habeat; Sacra Congregat. Conc. in Calliensi 19 Junii 1628, in resp. ad 4. Et in Oriolen. 27 Martii 1632, in respons. ad 12, et tenet Gonzalez, ad regul. 7 Cancell. § 7 proem. n. 18. Piasec. in Praxi Episcop. part. 2, cap. 3, num. 8, et cum multis aliis Barbosa lib. 3 Jur. Eccl. univ., cap. 18, n. 77.

(12. Distributiones quotidianas lucratur in absentia Canonicus infirmus; cap. unic. de Cleric. non resident. in 6, et Glossa ab omnibus approbata ibid. in verb. *Infirmus*, et sic semper respondit Sacra Congregatio Concilii teste Fagnan. l. 3, Decret. in c. *Cum percussio* 1, de Clerico ægrotante n. 29. Barbosa in Coll. Apostolic. dec., verb. *Distributiones quotidianæ* n. 17. Garcias de Benefic. p. 3, cap. 2, n. 362, et tenuit Rota part. 1 recent. D. 61, n. 7, par. 2, dec. 197, n. 2, et Annotat. ad dec. 576, n. 125, p. 4, tom. 3, et sæpe alibi. (13. Sic distributiones quotidianas lucratur Canonicus, qui ad Ecclesiam se conferre non potest, quia est debilis in cruribus, vel tibiis; Barbosa l. 3, Juris Eccles. univers. cap. 18, n. 56, cum aliis ibi citatis. (14. Vel quia podagra laborat; huic enim debentur quotidianas distributiones censuit Sacra Congregatio, teste Fagnano lib. 3, dec. in c. *Licet*, de Præbend. n. 142. (15. Vel quia est cæcus, et propterea Missas celebrare, et divina officia recitare non potest; Sacra Congregatio Conc. 20 Jul. 1619. Sicut etiam Canon. post adeptum Canonicatum utroque lumine orbatus distributiones lucratur, absque eo quod Divinis intersit; S. C. C. sub die 26 Jan. 1616. (16. Vel quia medicinam sumit, aut sanguine minuitur; Jacob. de Graff. in aureis Dec. part. 2, lib. 3, c. 15, n. 10. Moneta, Trullench. Sanctarell. et alii cum Barbosa l. c. n. 59. (17. Vel quia lepra, aut alio morbo contagioso cogitur ab Urbe discedere; Barbosa cum supradictis loco cit. n. 61. (18. Vel quia sanitatis causa ad balnea, vel alium locum iret. Idem Barbosa cum iisdem loco cit. n. 60. (19. Extenditur insuper, ut habeat locum etiam in senio infectis, quibus Sacra Congregat. declaravit quotidianas distributiones debentur, si alias residere sint soliti, ut refert Fagn. loc. c. n. 146, et Barbosa d. lib. 3, n. 64. Collectan. Apost. dec. verb. *Distributiones quotidianæ* n. 4. (20. Et his omnibus infirmitatibus detenti possunt distributiones quotidianas percipere, quavis propria culpa in eas inciderint, c. *Cum infirmitas*, de Pen. et remiss. Et ratio est, quia etsi tales propria culpa sint impediti,

hoc tamen impedimentum nec a Jure, nec ab homine sed ab ipso Deo illatum est; ut innuit textus in c. *Cum percussio*, 2, caus. 7, qu. 1, ibi: « Cum percussio corporalis imminet, utrum pro purgatione, an pro vindicta contingat, Dei in hoc Judicium igno- ratur, et ideo non debet a nobis addi flagellatis afflictio, » et sic præcise statuit Sacra Congregatio Concil. teste Fagnano loc. cit. n. 147. Cum non sit addenda afflictio afflictio, cit. c. *Cum percussio*, c. Ex part. 5, de Cler. ægrot. c. *Licet* 4, de Censibus cum similibus.

(21. Nec obstat statutum Capituli contrarium, ut ægrotis, vel ex quavis causa absentibus, non dentur distributiones, quia hujusmodi statum Sacræ Congreg. Concilii teste Fagnano loc. c. n. 138, censuit non esse confirmandum, cum sit irrationabile, et contra bonum Ecclesiæ, ut constat ex cap. 1, de Clerico ægrotant. ibi: « Quia si alii ejus essent exemplo deterriti, forte non posset, qui militaret Ecclesiæ, inveniri. » (22. Nec etiam constat consuetudo non percipiendi distributiones in absentia, quia distributiones quotidianæ debentur infirmis absentibus, etiam non probata consuetudine illas in absentia percipiendi, ut clare probatur in cap. unic. de Cleric. non resident. in 6, ubi ex regula, quæ præmittitur de distributionibus quotidianis in absentia non percipiendis, excipiuntur primo loco ii, quos infirmitas excusaverit. (23. Nec tempus, quo Canon. fuit infirmus, computandum est pro tempore vacationum, ut declaravit Sacra Congreg. teste Fagn. l. c. n. 140. (24. Immo Canonici infirmi percipere debent etiam portionem accrescentem. Sic decrevit Sacra Congregatio Concil., ut refert Fagnan. l. c. n. 139. (25. Declaratur tamen, quod tales distributiones debeantur solum illis Canonicis infirmis, qui, dum sani erant, divinis officiis interesse solebant, alias enim distributiones quotidianas non lucrantur, quia morbus non est causa non residendi in eis, qui etiam sani non resedissent; Rota in una Hispanensi Distributionum 2 Maii 1603 coram Coccino, Joan. And. Card. et Abbas in cap. *Ad audientiam*, de Cleric. non resident. et in cap. *Cum percussio*, de Clerico ægrotante; Fagn. l. c. n. 148. Felin. in cap. *Apostolicæ*, de Except. num. 12, ubi dicit ita omnes tenere.

(26. Distributiones quotidianas lucratur Canonicus in absentia, ratione justæ et rationabilis corporalis necessitatis, cap. unic. de Cleric. non resident. in 6, ubi tamen advertit, quod non quodlibet impedimentum corporale excusabit, sed illud tantum, quod præferat justam et rationabilem aliquam necessitatem, veluti si injuste quis in carcerem mittatur, vel inique excommunicetur, vel sine culpa a Civitate sit expulsus, vel aliis similibus casibus, ut in dict. c. unic. num. 17, exemplificat Barbosa. (27. Quod distributiones quotidianas lucratur injuste carceratus, decrevit Sacra Congreg. Episcop. et Regul. sub die 3 decembris 1600. Et Sacra Congregat. Concil. sub die 19 Maii 1626 respondit distributiones quotidianas, consuetudine contraria non obstante, debentur Cano-

nico pro toto illo tempore, quo propter denegationem distributionum in tempore in debita incarcerationis abfuit a residentia. Et eadem Sacra Congreg. Concil. in Lucian. 16 Februar. et 8 Maii 1627, censuit distributiones debentur Canonico pro tempore, quo fuit Romæ carceratus, vel ibi ex causa detentus. (28. Canonico injuste excommunicato, ac postea per sententiam absoluto, quæ in rem judicatam transivit, debentur distributiones quotidianas, et si quæ alia sunt emolumenta, quæ ab infirmis percipi consueverunt, censuit Sacra Congreg. Concil. ut refert Fagnan. loco cit. n. 156. Excommunicatus enim injuste potest repetere fructus medii temporis, ut tradit Glossa communiter recepta in cap. *Super causa* 2, qu. 4. et Glossa final. in cap. *Pastoralis*, § *Verum*, de Appell.

(29. Canonicus expulsus a Civitate propter seditiones absque sua culpa a contrariæ factionis hominibus, debet integre percipere quotidianas distributiones. Sic communiter Doctores cum Fagnan. loc. cit. n. 151. (30. Distributiones enim quotidianas lucratur Canonicus, qui ex facto Principis temporalis loci residere non potest, sed interea debet curare Canonicatum resignare, vel permutare, aut rationem aliquam inire, qua et suæ, et Ecclesiæ indemnitati consultum sit, ut censuit Sacra Congreg. Conc. in Carpen. 17 Septembris 1616. (31. Distributiones quotidianæ debentur Canonico absenti, ut injustam Judicis vexationem redimeret; Sacra Congreg. Concil. teste Fagnan. l. c. n. 154.

(32. Item distributiones quotidianæ debentur Canonico citato ob causam criminalem, qui se innocentem exhibuit, ac propterea a servitio Ecclesiæ abfuit, licet ex statuto Ecclesiæ absentes per sex menses universam illius anni portionem amitterent. Sic eadem Sacra Congreg. ut testatur idem Fagnan. num. 155. (33. Canonicus, qui de crimine inquisitus, et condemnatus fuit, appellavitque, et fuit absolutus per tres sententias conformes, vel unam, quæ in rem judicatam transivit, debet utique percipere nedum fructus, sed etiam distributiones quotidianas totius temporis, quo propter eam causam horis Canon. non potuit interesse. Ita eadem Sacra Congreg. Conc. ut expresse testatur Fagnan. l. c. n. 156, et Sacra Congreg. Episcop. et Regul. in Lucerina 17 Augusti 1696. (34. Distributiones quotidianas lucrari debet Canonicus, qui inquisitus de homicidio, et factus contumax infra annum comparuit, et factis defensionibus in carceribus, fuit absolutus, et innocens declaratus, ab ea die scilicet eas lucratur, qua se præsentavit in carceribus, non vero antea, tempore scilicet quo fuit contumax; Sacra Congreg. Conc. sub die 10 Novembris 1618. (35. Distributiones quotidianæ debentur Canonico legitime impedito pro illo tempore, quo impeditus fuit inservire Sacra Congreg. in Alexandrina 7 Septembris 1630. Rota part. 14, dec. 190, num. 4 et part. 15, decis. 100, num. 3. (36. Distributiones quotidianas lucratur Canonicus in absentia ratione evidentis Ecclesiæ utilitatis; cit. c. unic. de Cler. nou